



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1634

De Dominica quarta Aduentus. III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40244

8 Et quando alicubi contingit reponi has Antiphonas in Feria diuersa ab ea cui sunt assignatæ, Antiphona 4. ea erit quæ conformis est Cantico recitando, sicuti præscribitur de Antiphona *Expectetur* reseruata Sabbato.

De Dominica quarta Aduentus.

CAP. III.

1 **C**ontingit non legi in Officio Dominicæ 4. Euangelium, quod idè saltem in præcedenti Sabbato legitur: puta, quando in hac Dominica occurrit Vigilia Natiuitatis, & eo anno omittuntur Antiphonæ ad Laudes quæ occurrunt in die sancti Thomæ, vt in Sabbato Quatuor Temporum ponantur Antiphonæ Dominicæ quartæ, quæ omitti non debent. quod affirmat Microl. cap. 33. & approbat indagator Romanorum Rituum Radulphus Propos. 16. qui appellat *ibidem* supercrefcentia ea quæ habentur in Breuiario post Dominicam 4. quia in breuiori tempore Aduentus omittuntur.

2 Et licet in prædicto casu Antiphona quarta Dominicæ omittatur, cuius loco dicitur Antiphona, *Expectetur*; eadem tamen quarto loco resumitur in Vigilia Natiuitatis, ne Officium huius Dominicæ vllò modo pereat.

De Vigilia Natiuitatis Domini.

CAP. IV.

1 **S**i Vigilia venerit in Sabbato, vice Psalmi *Iubilate*, in Nocturno dicitur Psalmus *Bonum est*, ne ille bis dicatur, ad Matutinum, & Laudes; & neque hîc omittatur in Officio.

2 Antiphonæ ad Laudes, *Iudæa, & Ierusalem*, &c. habentur apud Rupert. lib. 3. cap. 12.

3 Ritus Officij à Laudibus est Duplex, nō ante annum 1521. in Breuiar. impressis; at erat etiam in antiquis M. S. Duplex; & cum Vigilia sit illius Festi, quod est initium salutis nostræ, iure merito cum exultatione est celebranda. Est igitur Officium partim feriale, quia Vigilia est; partim festiuum, iuxta illud, *Leuate capita vestra*, &c. & vt Officium Primæ sit solemne, in quo est annuntianda Natiuitas Saluatoris cum solemnî lectione Martyrologij.

4 Legitur Martyrologium cum maiori quàm aliàs solemitate; qua in re quisque abundat in ritu suo. Illud est commune ferè omnibus, vt genua flectamus ad ea verba, *In Bethleem Iudæ*, &c. vsque ad ea, *secundum carnem*; ea ratione qua ad Misam genuflectimus in Symbolo ad ea, *Et incarnatus est*; & in ultimo Euangelio ad ea, *Et Verbum caro factum est*. Humiliato namque Deo, & nos vsque ad terram profundius solito humiliari decet. quod & additum est in postremâ Martyrologij recognitione.

5 Ad Nonam inclusiuè definit Aduentus, & cessat *Angelus Domini*, &c.

De Natali Domini.

CAP. V.

1 **L**ectiones Isaie hac nocte leguntur sine titulo; ea fortè ratione qua Hugo docet lib. 2. cap. 3. Capitula legi sine titulo, quando scitur auctor; & Isaïas in toto Aduentu lectus est, ita vt pateat eius nomen. Dicerem cum P. Ruiz, iam